



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati  
Caesarei, Pars Lyrica**

**Gibbes, James Alban**

**Romae, 1668**

Ad Lvcam Holstenivm. Optimum, vt in humanis, statum esse ægreditudinem,  
quænos facit optimos, quamdiù habet infirmos. Ode IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13378**

At nostrum omne lucrum : stertere scilicet  
 Nostrum est . Qui domuit, pleniū imperat ,  
 Heu ! mundum breue opus vincere ; tu mihi  
 Orbes, Iupiter, obijce .  
 Laudatos gemitus ut premeret senex ,  
 Mundos, vanus ait, Democriti tenes  
 Dulcis mille puer : mille tibi cadent  
 Magno purpurei duces .  
**ALMERICE**, vides (cura mea, & decus)  
 Albos patris equos cire Valentiam :  
 Pompam tu Solymis hanc imitabere ,  
 Majorum imperij sequax .

## AD LVCAM HOLSTENIVM.

*Optimum, ut in humanis, statum esse ægritudinem, quæ  
 nos facit optimos, quamdiu habet infirmos.*

## ODE IX.

**M**E super starus admonuit languentis amici ,  
 Corda hominum tum denique recto  
 Viuere amica magis, superisque assuescere rebus ,  
 Morbo dum, macieque premuntur ;  
 An quia carnis inops mens explicat aptius alas ,  
 Et patrios consurgit ad ignes ,  
 Exilij impatiens, terræ damnata sodali ?  
 Infirmos circumspice coetus ,  
 Quos dolor affixit pigro febrisque cubili :  
 Ecquem non sano meliorem ,  
**HOLSTENI**, inuenies, & versis sensibus æquum  
 Cœlicolis ? præstare saluti  
 Ut videatur morbus ob hoc, quod sit gradus axis ,  
 Et vitæ certa arrha beatæ .  
 Hunc & auaritia, & lucri scelerata cupido  
 Nil mouet, aut spurcissimus ardor  
 Discinctæ Veneris . Non seruit amoribus ille ,  
 Ambitos nec curat honores ;

Teminit

Temnit opes . Quamuis fortunæ munera parua ,  
 Quippè relicturo, satis ampla .  
 Tunc regnare Deum, mortales ire minores  
 Scit pallens, ac scire fatetur .  
 Pectore liuor abest, poterat qui causa laboris  
 Esse noui, fraternaque turba  
 Vindicta, atque odium; ventri referendus eidem  
 Et metus, & simulatio turpis .  
 Despicit ut nullum, sic nec miratur : acerbis  
 Obliquat rumoribus aurem ,  
 ( Sirenum scopulos qualis vitauit Vlysses )  
 Cuncta prior laudare paratus .  
 At rigui fontes, at balnea frigida curæ ;  
 Vsta sibi quæ somnia febris  
 Tantaleo trahit ore, natat seù siccior hydrops .  
 Hæc oculis, hæc obuia nienti ;  
 Votorum hæc summa . Instantem producere quòd si  
 Detur in altera tempora Parcam ,  
 Quæ promissa facit, cycnum mutandus in album  
 Ex coruo ! quæcumque supersit ,  
 Nàm fore, ut apponat studijs cœlestibus horam ,  
 Ciuis humi iam dignus Olympo .  
 Ergò, Socratice prolixa volumina barbæ ,  
 Chrysippus virtutis alumnos ,  
 Quod Plato, Pythagoras, & sancta docere Lycea  
 Conantur sine fine sequaces ;  
 Possum ego (des veniani) paucis, ô clare Sophorum ,  
 Id tibi commendare, mihiq; :  
 Scilicet incolumes pergamus degere, quales  
 Attriti promittimus vtrò .

## AD V R B E M R O M A M :

Non esse, cur sub Alexandro , Principe optimo , pestem  
 ex vicinitate Neapolis multum reformidet .

## O D E X.

R O-

